D. T. O. M. A.

DISPUTATIO MEDICA.

DE

HYDROPE ASCITE,

Quam

SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO

LUDOVICO,

Duce Wirtembergiæ & Tecciæ,
Comite Montisbelgardi, Dynaſta
Heidenheimii, &c.

UNIVERSITATIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

PRÆSIDE

JOHANNE CUNRADO BROTBEQUIO, Phil. ac Med. D. & P. P. Celeberrimo p. t.
DECANO Spectatiſſimo, Patrono atque Præceptore æternùm devenerando.

Ad Diem Martij,

Horis locoque ſolitis

Publico Eruditorum examini ſiſtit

JACOBUS HAFENREFFER,
Micro-Saxenheimius.

TUBINGÆ,
Typis JOHANN-HENRICI REISII,
ANNO M. DC. LXXVI.

VIRIS

Magnificentiâ, Plurimùm Reverenda Dignitate, Nobilitate Amplitudine, Excellentiâ ac Experientiâ ſummè conſpicuis,

DN. JOHANNI GRAVIO, U. J. D. Canonici & Praxeos Prof. Publ. Famigeratiſſimo Univerſitatis h. t. PRO-RECTORI Magnifico.

DN. TOBIÆ WAGNERO, SS. Theol. D. Controverſiarum Prof. longè Celeberrimo, Cancellario Univerſitatis Digniſſimo, Eccleſiæque Præpoſito Vigilantiſſimo.

DN. JOHANNI ANDREÆ Frommann/ U. J. D. Inſtit. Imper. Profeſſori Publico Famigeratiſſimo.

DN. GEORGIO BALTHASARI METZGERO, Med. D. Pract. Anatom. Chirurg. & Botan. Prof. P. Celeberrimo.

Superattendentibus & Inſpectoribus Stipendij Martiniani Digniſſimis, Dexterrimis,

DNN. Patronis, Promotoribus & Evergetis ſuis omni honoris, obſequii & obſervantiæ cultu ætatem colendis,

Primitias haſce Medicas

In debitæ Gratitudinis & Obſervantiæ teſſeram, ulterioremque ſui & ſtudiorum ſuorum commendationem

Submiſſè dedicat & offert

Jacobus Hafenreffer, A. & R.

Q. D. B. V.

THESIS I.

ORdinem & methodum conſuetam Diſceptationis noſtræ obſervaturi, meritò prius de nomine, antequam rem ipſam aggrediamur, ſolliciti eſſe debemus, quippè cum nominum uſu cognito, ipſarum rerum inveſtigandarum ſequatur cognitio. Ut autem compendioſâ incedamus viâ, tria illa, circa nomen, *hydrops*, conſueta examinabimus, ſcil. Etymologiam, Synonymiam & Homonymiam.

II. *Etymologiam* quod concernit, Hydrops vocabulum Græcum eſt, deduciturque fortè ἀπὸ τοῦ ὕδωρ καὶ ὤψ ab aqua nim. & facie, quaſi facies aquoſa, vel habens aſpectum aquoſum: Aſcites v. ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ dictus ſeu ab utre, quaſi utricularis morbus, quod utris modo in peritonæo humor contineatur. Quoad *Synonymiam*, Græcis nominatur ὕδρωψ, ὑδρώπισις ἢ ὑδερίασις; *Latinis* morbus aquoſus; *Ciceroni* aqua intercus; aqua intercutem *Celſo*; *Q. Sereno lib. de re med. cap. 26.* lympha audit, quando canit:

Tum lympha interius vitio gliſcente tumeſcit,
Secernens miſeram proprio de viſcere pellem.

Chymicis liquor reſolutus, aqua reſoluta dicitur; Germanis die gemeine Waſſerſucht / vel juxta Græcam appellationem die Schlauch-Waſſerſucht. Circa *Homonymiam* notandum, duas hydropis differentias reperiri apud Hippocr. Univerſalem ſcil. & Particularem. Univerſalis dicitur ille, qui totum corpus, vel abdomen univerſum occupat: Particularis v. qui unicam tantum corporis partem; undè hydrops capitis, pectoris, & uteri &c. de

quo hic non agimus, ſed tantum de univerſali. Hujus autem hydropis univerſalis tres proponuntur ſpecies à Galeno: Aſcites, Tympanites & Anaſarca ſeu Leucophlegmatia: In *Aſcitis* ergò naturam paulò accuratius nunc inquiremus, ut qui præcipuè hydrops dici meretur. Sepoſito itaque nomine, recto ad *πραγματολογίαν* tramite tendimus. *Definitio* igitur realis ſic ſe habet.

III. Hydrops Aſcites *eſt tumor abdominis ab humore aquoſo, ſeroſo & ſalſo in illius capacitate collecto, inprimis ortum habens.*

IV. *Genus* eſt tumor p. n. & quidem aquoſus, ad differentiam illius qui flatulentus, aut tertii qui carnoſus dicitur. Ad quam verò claſſem rerum p. n. affectus iſte pertineat, videndum. Exiſtimamus eum commodè morbis conformationis annumerari poſſe, & quidem in magnitudine auctâ: Aliàs ſymptomatis vicem gerit, propter vel fruſtratam, vel non ritè peractam ſanguificationem.

V. *Differentia ſpecifica*, tanquam alterum definitionis membrum, exprimitur poſitione ſubjecti & cauſæ proximæ ſeu continentis. *Subjectum* hujus morbi primarium ſtatuimus abdominis cavitatem præcipuè; atque illud ſpatium, quod eſt inter peritonæum, omentum & inteſtina. Huic particularem ſed rarum accenſent nonnulli locum, nempè, veſiculas, quæ teſte *Aretæo l. 2. affect. Chronic. cap. 1.* puſillæ & crebræ, humoris plenæ, in loco ubi aſcites fieri ſolet, excitantur. Quod & hiſtoriæ hinc indè confirmant, apud *Schenk. l. 3. obſ. Maurit. Cord. comm. 5. in Hipp. l. 1. de morb. mulier:* Secundarium, ſunt partes tùm ſuperiores interdum, ob nimiam ſeri redundantiam; quàm inferiores, ſcrotum puto ac pedes, quibus aqua gravitate ſua deſcendens promptius ſeſe inſinuat.

VI. *Proximam & immediatam* tumoris hujus *Cauſam* ſtatuimus, eſſe aquam potiſſimum, ſeu humorem ſeroſum in abdomine collectum, quatenus enim aquæ naturam retinet humor iſte, frigidus eſt, ſed quatenus etiam ſalſedinis eſt particeps, calorem in ſe habet, qui è viſcerum vicinia augetur, & ita faucibus & ore ventriculi à ſalſo ſero ſanguinis huc eructato, & altius impacto ſtimulatis & exiccatis, Sitis unà oritur,

quæ

quæ materia dum continuò nova per ſalivales ductus ſuppeditatur, continua etiam ſitis urget.

VII. Sequuntur *Mediatæ Propinquiores*, de quibus major ingruit difficultas, cum nonnulli nihil niſi hepatis intemperiem frigidam, adeoque vitiatam ejus ſanguificationem, hic crepent; alii nihil habeant quod accuſent, quam hepar obſtructum, qui tamen utrique falluntur, quoniam omnis generis tàm generandi ſanguinem, quàm depurandi viſcera ſymbolum ſuum huc conferunt, ſi non bene ſuo fungantur officio. Hinc plurimum ad hydropem contrahendum Lienem facere, ex *Diſput. de Liene Excell. Dn. D. Metzgeri, Patroni ac Fautoris longè Colendiſſimi* patet. Ruptis etiam lacteis meſentericis ex potu multo & ſubitò ingeſto, in abdominis cavo ſubindè confluere humiditatem & Aſcitem inducere *Sylvius* teſtatur *in prax. lib.1.c.17.* Per collectionem lymphæ ſeroſioris tenellula vaſa ſua erodentis & extravaſatæ, ſecund. *Barbette lib.4. prax. cap 4.* fieri ſolet; ſic & dum lymphatica debitam materiam non recipiunt, aut receptam non retinent fideliter, ſed rupta, aut aliter aperta effundunt, hydropi cauſam præbent, vid. *Thom. Bartholinus* Anatomicorum hujus ſeculi decus, *de vaſis lymphat. in hom. cap. 4. Th. Warth. adenograph. cap. 11.* Renes quoque in officio ſegnes redditi, ipſorum facultate attractrice & expultrice vel in ſe læsâ, vel impeditâ accuſantur. Læditur autem renum attractrix, ob imbecillitatem eorum ex intemperie frigidâ, & cauſis externis. Impeditur & attractrix & expultrix, vel compreſſione, vel obſtructione; comprimuntur autem à tumoribus; obſtruuntur ab humoribus craſſis, viſcidis, interdum pure, ſanguinis grumis, & frequentius à calculo renum, unde neceſſariò repurgitare aquas & ſtagnare in aqualiculo oportet: uti latius deducit *Cl. Sennert. lib. 3. prax. cap. de hydrope*, ac ſatis probat eventus, tùm quod plerique hydropici parum urinæ excernunt, & ſi paulò liberalius bibant, maximè offenduntur, tùm quod urina diureticis cum inſigni εὐφορίᾳ & levamento ægrorum promovetur.

VIII. Nunc ad *Cauſas* illas quæ in productione affectus noſtri *Remotiorem* locum obtinent, enarrandas, ordo reſolutionis nos vocat. Hæc igitur in generatione partim, partim etiam in colle-

colléctione ſunt occupatæ, dividunturque in Naturales, Nonnaturales & Præternaturales. Inter res *Naturales* primum locum occupat *Temperamentum*; Valdè enim diſpoſiti ſunt ad hydropem contrahendum, temperamento frigidiore qui gaudent & humidiore: Experientiâ tamen conſtat, pronos quoque in hunc affectum eſſe, qui calidioris & ſiccioris ſunt conſtitutionis, ſicut *Hippocr. in coac.* tradit, nec non *Fernel. in conſil.* & alii teſtantur. *Diſpoſitio hæreditaria* non planè rejicienda eſt: Cum enim animadvertente *Hippoc. de aër. aq. & loc.* à ſanis ſemen ſanum, à morbidis verò morboſum decidat; quidni quoque poſſibile, communicari natis poſſe hoc vitii genus per contagium: Nam haud rarò contingit, quod liberi parentum citius malorum quam bonorum fiant hæredes. *Ætatis* ratione varias ſubinde in homine accidere mutationes, *Hippocr.* multis in locis docet: quamvis etiam interdum junior ætas iſto miſerè laboret malo, ne fœtu quidem in utero materno excepto, uti refert *M. A. Severinus lib. de recond. abſcond. naturâ*, magis tamen proprium eſt ad ſenium vergenti, judice *Hippocrate 3. aph. 31.* ſub nomine cachexiæ, quæ hydropis genus eſt, cùm nempe ignis naturalis evaneſcere incipit, cruditates indies augentur. *Sexus* in præſenti affectu neuter notabilem obtinebit prærogativam, niſi quod fœminæ diæteticas regulas paulò rarius tranſcendentes, rarius etiam illum patiantur.

IX. Succedunt res *Nonnaturales* dictæ, inter quas *primò* eminet *Aër* corpus noſtrum neceſſariò afficiens, quatenus vel illud ambit, vel inſpiratione attrahitur, teſte *Galeno 1. de diff. febr. cap. 4.* Auſtrinus quidem per ſe multum inducit aquæ corporibus & colliquat concreta; eod. modo & pluviæ humectant corpora & humores aquoſos reddunt. Aquilonius collectionem ſeri promovet, dum prohibet rejectionem. Sic etiam anni tempora, aërem mutando ſimul ad varias ægritudines diſponunt: *Ver* enim ſuâ naturâ ἔυκρατον licet ſi ſibi relinquatur, ei frigidorum morborum γένεσις adſcribi non poſſit, ſi tamen cachecticum corpus, multis aquoſis & pituitoſis excrementis refertum inveniat, tunc per accidens hydropem introducit, quatenus ſcil. humores vitioſos ſegregat, commovet, colligit. *Æſtas* calida

lida & ſicca; pars anni morborum ferax, ad affectum hunc progenerandum parum confert, humores enim potius exiccat, & per poros ſemper apertos, promovet & expellit. *Autumnus* inæqualis & mutabilis, omnis ferè cacochymiæ parens, & vitii per totam æſtatem concepti conſervator, ad omnis generis tumores & hydropes excitandos non parum operæ ſuppeditat, confirmante *Hippoc. l 3. aph.* 22. *Hyems* propter frigidam & humidam temperiem, pituitoſorum ac ſeroſorum morborum feraciſſimus, quin etiam concurrat, dubium adeſt nullum. 2. *Cibus & potus*, quamvis pro nutritione & inſtauratione corpori noſtro inſerviat, in cenſum nihilominus veniunt: Nocet verò cibus quantitate, qualitate & utendi modo; *quantitate* excedunt alimenta, eaque continuâ, ſi nimiâ cibi & potûs copiâ ventriculus obruatur, hæc enim naturæ vires opprimit: unde breviter *Hippocr. 6. Epid. comm 6. th. 5.* σιτία, ποτὰ, μέτρια, cibi, potus moderata, ubi enim alimentum ultra naturam capitur, morbum facit. Diſcretâ peccatur quantate, quando varii, qualitatibusque diſſimiles ingeruntur cibi, qui magnam deinde in corpore gignunt perturbationem, *Gal. 3. de vict. rat. in acut. t. 35. Plinius nat. hiſt. lib. 7. c. 5.* cibum utiliſſimum laudat ſimplicem, ſaporum verò acervationem peſtiferam, & condimenta pernitioſa vocat: *qualitate* alimenta peccant, eâque primâ, dum frigiditate & humiditate modum excedunt, ſive jam ſuâ naturâ ſint talia, ſive non: ſecundis qualitatibus noxas inferunt cibi κακόχυμοι καὶ δύσπεπτοι pravi ſucci & difficilis coctionis; hi enim non poſſunt non pravos humores cacochymiæ parentes cumulare. Cane & angue pejus fugiant hydropici cibos impensè ſalitos, fumo induratos, frigidos, item omnia valdè acida & pinguia. Carnes omnis generis infumatas, piſces marinos, nec non oſtreas, cucumeres, melones, olera, leguminaque ferè omnia, quia hujus farinæ alimenta ſunt aquea. Succi craſſi & minus alibiles, flatuum ac ſeroſitatum evadunt genitrices. *Utendi modus* ut obſervetur neceſſe eſt, ſin violetur, & ille cauſa morbi exiſtit. Noxium ergò eſt, cibum ingerere, priore nondum concocto; cruditates enim colliguntur materiam hydropi præbentes. Noxium etiam, tempus conſuetum prætergredi, & cibandi horam vel indies mutare; fermentum enim

nim ſi acre eſt, turgere incipit, ventriculum diſtendit, variaque incommoda producit. Circa *potum* ratione qualitatis, quantitatis & modum utendi eadem obſervanda veniunt. Largior enim & frequens ingurgitatio aquæ frigidioris & cereviſiæ, poſt validum motum, ut chorearum tempore contingit, vel etiam balnei uſum, hydropis certiſſimus eſt prodromus; ex largo enim hujusmodi potu fermentum ventriculi diluitur & imminuitur, nullaque perfecta coctio ſequitur. 3. *Motus*, moderatus, uti ſanitatem adjuvare & conſervare, ſic contrario modo immoderatus, & qui poſt ſumptum cibum inſtituitur, eam lædere ac proſternere ſufficit, ſpiritus vitales diſſipando, humores intempeſtivè agendo, nec non chylum crudum ad partes ante tempus debitum transmittendo. *Quies* nimia, ſeu exercitationes intermiſſæ offendunt, quatenus excrementis cumulandis anſa datur, calor nativus obtunditur, & chyli diſtributio retardatur. 4. *Somnus & Vigilia* utraque modum excedentia, malum denunciant, ait *Hipp*. 2. *aph*. 3. *Iſte* quia naturales evacuationes detinet, ſpiritus diſſolvit, frigidorum morborum maximè deſtillationum cauſa exiſtit: à prandio inſtitutus plurimis malè audit, indulgendum tamen aliquid interdum conſuetudini, ætati & temperamento. *Illæ*, ſi nimiæ, coctionem impediunt, tenuiorem ſanguinis partem abſumunt, & frigidorum morborum cauſa per accidens fiunt. 5. *Excreta & retenta* immodica, larga & crebra, humorum præcipuè benignorum, & in ſpecie ſanguinis per nares, os, veſicam, alvum, uterum, vulnera partium, hæmorrhoides &c. Urinæ inſuper p. n. retentæ, hæmorrhoides, menſesque ſuppreſſi, malum augent 6. *Animi Pathemata* varia eſſe poſſunt, & in morborum proventu non levem præſtant operam, ſiquidem variè ſpiritus & humores commovent ac turbant, viſcera corporis principaliora debilitant, nec non circulationem ſanguinis impediunt, vel violentius commovent.

X. *Res p. n.* ita comparatæ ſunt, ut una interdum alterius fomes ſit & incitamentum: Ita morbis acutis & febribus ardentibus aſcites quandoque ſuccedit, *Hipp. prænot. libr. Trallian. lib. 9. cap. 3.* nec diſſentire videtur *Galen. lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. 2.* Hecticos quoque & phthiſicos ſæpenumerò hydropicos fieri, niſi

fluxione

fluxione ventris corripiantur, & hinc morte præoccupentur, ſcribit *Rondeletius lib. 2. cap. 25. meth. cur. morb.* Atque omninò omnes illos affectus hydrops conſequitur, quia habitum ex materiâ pituitoſà corrumpunt, *ut loquitur Aëtius tetrab. 3. ſerm. 2. c. 20.* De dyſenteria extat *aph. 43. lib. 6.* Colicum dolorem quod aqua intercus ſequatur, tradit *Aretæus l. 2. diut. c. 8.* Scorbutum quoque tandem in hydropem deſinere, *Cl. Conring. docet diſput. de ſcorbut.* Leucophlegmatiæ etiam ſuccedit aſcites, ſecund. *Hipp. 7. aph. 74.* Poſt viſcerum ſcirrhum plerumque ſequi aſcitem experientiâ eſt notiſſimum. A crurum ſcirrhoſo tumore hydropem lethalem provocatum, *Schenck.* obſervavit *lib. 3. obſ. 23.* Denique poſt ſanguinis quemcunque fluxum, ſive is fiat per nares, ſive os, ſive hæmorrhoides, ſive per uterum. Aut contrà poſt ejusdem conſuetam evacuationem ſuppreſſam, ut paſſim docent authores & uſus quotidianus comprobat.

XI. Cum nonnullæ aſcites ſint *Differentiæ*, ut eæ dilucidè proponantur, triplicem earum hic ſiſtimus numerum. Et quidem I. Ratione *Subjecti* ex th. V. eſt vel primarius, quando totum abdomen aquoſô humore vel immediatè diſtenditur, juxta *7. aph. 55.* vel mediatè, quando ſcil. aquæ veſicis quibusdam ſeu hydatidibus hìc, illìc adnatis includuntur, quarum mentionem faciunt *Galenus in 7. aph. 55. porrò Aëtius tetrab. 3. ſerm. 2. cap. 20.* Addo *Horſt. lib. 2. Epi. Sect. 20. Zacut. Luſit. prax. admir. l. 2. obſ. 52. River. obſ. commun. ult.* Secundarium vocare licet, ſi ſcrotum & crura intumeſcant. II. Ratione *Cauſarum*, 1. alius protopathicus, quando abdominis partes primò laborantes in culpa ſunt. Alius deuteropathicus, quando aliarum partium vitio affliguntur, earumque morbos aſcites conſequitur. 2. Exquiſitus alius, quando venter aquâ ſaltem repletur; Spurius verò, quando ſimul flatibus permixtus eſt. 3. Fit etiam hydrops à colliquatione ſive affluxu copioſo ac celeri ſubitaneus, cujus *Galen. 3 de ſympt. cauſ. c. 2. & P. S. Diverſus de affect. part c. 9.* mentionem faciunt; Alter ſucceſſivus poſt febres quidem mitiores, ſed longiores, quem plerunque cachexia præcedit. 4. Alius à cauſa externa, ſine vitio alicujus viſceris aliquando naſcitur, nim. ab errore externo, i. e. à confertim ingurgitata aqua frigida,

da, vel vino aut cereviſiâ. Alius à cauſa interna ſuperius recenſita. III. Ratione *ſymptomatum* alius eſt mitis, qui à levioribus cauſis & ſignis ſtipantibus exortus eſt; Alius gravis cum vehementibus ſymptomatis, doloribus ſcil. vigiliis & ulceribus conjunctus.

XII. *Signa* quæ hunc affectum reſpiciunt præſentem ſunt *Diagnoſtica.* Et primò quidem tumor abdominis aquoſus & mollis, qui per latera compreſſus fluctuationis ſenſum manifeſtum repræſentat, & æger ipſe dum ſeſe in alterutrum latus convertit, murmur velut fluctuantis aquæ percipit: Hinc pedes & ſcrotum intumeſcunt, ut impreſſio digitorum manifeſtum poſt ſe in carne veſtigium relinquat: ſuperiora verò gracilia redduntur & contabeſcunt, niſi quod ad extremum manus interdum inflantur: Urina pauca & ferè craſſa eſt, quia exigua ſeri quantitas ad vias urinarias tranſit, in iisque diu moratur, & in illa mora craſſeſcit & coloratur. Pulſus eſt parvus, crebrior, undoſus, & cum tenſione quadam: Malo ingraveſcente Diſpnœa accedit inſignis & tanta, ut ægroti erecti ſedere cogantur, ob aquæ copiam diaphragmati incumbentem. Sitis etiam adeſt implacabilis. Ac denique Febris continua & lenta excitatur.

XIII. Sequuntur ordine *Signa Prognoſtica*, quæ in tres claſſes diſpeſcimus, ſalutis & mortis; longitudinis & brevitatis; & modum eventûs. *Salutem & mortem* quod attinet, 1. Juvenes & robuſti facilius ſanantur, quam ſenes & qui ſunt debiliores, quibusque facultas naturalis languet. 2. Hydrops facilius curatur in ſervis, quam in liberis, quia cum deſideret famem, ſitim, & multa alia tædia, longamque patientiam; promptius ſuccurritur his, qui facilè coguntur, quam quibus noxia libertas eſt. 3. Omnis hydrops ſi ex acuto morbo exiſtit malus eſt, non enim ſedat febrim, ſed dolorem admodum infert & mortem *Hipp. 2. progn. aph. 1.* 4. Quibus jecur aquâ plenum in omentum eruperit, iis venter aquâ impletur & moriuntur, *7. aph. 55.* 5. Aqua intercutem laborantibus, orta in corpore ulcera, non facilè ſanantur, *6. aph. 8.* 6. Aqua intercutem laborantibus tuſſis accedens malo eſt, *6. aph. 35. Longitudinem & brevitatem* quod concernit, ſciendum, Aſcitem à congeſtione nō eſſe ex acutorum numero, qui

citò

citò ſuum curſum abſolvunt, & terminantur; ſed ad claſſem eorum naturâ pertinere, quorũ periodus longiore tempore finitur: Omnis enim hydrops gravis eſt & curatu difficilis, eoque difficilior, quo magis inveteratus: Brevior tamen qui ab affluxu, & facilioris curationis qui ab errore externo, quàm qui ex interno viſcerum contracto vitio progerminat. *Modum Eventûs* ſi intueamur, terminatur hic hydrops ad ſalutem, per λύσιν lentam & paulatinam, dum natura oppugnando morbum ſive propriô marte, ſive medicamentis, ſi nimirum aqua per alvum effluxerit morbi fit ſolutio, ſecund. *6. aph. 14. Hipp.* Econtra, qui lienoſi dyſenteria corripiuntur, iis dyſenteria diutius durante, hydrops aut lienteria ſupervenit & moriuntur, *6. aph. 43.* Abſceſſus vel maculæ in cruribus erumpentes lethales.

XIV. Inveſtigatô genere, ſubjectô, cauſis & differentiis, nec non ſignis tâm diagnoſticis quàm prognoſticis, manus nunc admovenda erit *CURATIONI*: Jubet verò methodus curativa conſueta, diſpeſcere curationem in Indicationes & materiam præſidiorum: Triplicis autem ſortis conſtituuntur *Indicationes*, Curatoria, Præſervatoria & Vitalis. 1. Juxtâ priorem (*Curatoriam* ſcil.) morbus præſens quatenus eſt in magnitudine aucta, quoad materiam actu augentem tolli debet. 2. *Præſervatoria* expoſcens, ut cauſæ tàm generantes removeantur, quàm generatæ tumorem excitaturæ eliminentur & evacuentur, & viæ præcludantur, quæ aquas transmittendi & effundendi diſpoſitione pollent. 3. *Vitalis* intendit, ut robur & tonus viſceribus reſtituatur, ne vel iterum excrementa generent, vel amplius recipiant. Profluunt porrò materiæ præſidiorum ad hæc exequenda neceſſariorum etiam ex triplici ſcaturigine: Chirurgica ſcil. Pharmaceutica & Diætetica.

XV. *Chirurgia* licet multis generoſisque abundet auxiliis, nobis tamen parcâ manu hîc loci ea concedit: Uſitatiſſima ſiquidem Venæſectio in hydrope, niſi â ſanguinis ſuppreſſione aliqua ortus ſit, haud admittitur. Etenim huic cruditati per ſe exiguum ſanguinis boni ſupereſſe, de quo nihil ſine virium jactura detrahi poſſit, *Galen. lib. 3. cap. 16.* ideòque in hoc affectu meritò rejicitur. Nunc ad generoſum illud & ſatis decan-

tatum in hydrope remedium *Paracentheſin* ſcil. ſeu Perforationem abdominis & ſcroti deſcendendum: De inſtituendi autem loco & modo à vulgari longè diverſo & magis tuto, per acum argenteamcavam vid. *Nic.Fontan. obſervat. rarior. analect.cap. 19.* Inſtituenda autem Paracentheſis ſtatim initiò, ſecundum illud *Hipp. 6. epid. ſ. 7.* ὑδρωπιῶντα αὐτίκα τέμνειν, dum ſcil. ægri adhuc ſunt εὐσπλαγχνοι (i.e. viſcera habent talia, quæ ad ſtatum naturalem redire poſſunt.) & antequam aqua ex diuturna mora inſignem putredinem contrahat. Evacuetur autem aqua per vices paulatim: Nam, quibus confertim effluxerit, certò moriuntur, ſecundum *Hipp. 6. aph. 27.*

XVI. *Pharmaciam* quod attinet, prius hic monendum eſt, 1. Cum chronicus hic ſit morbus, longiore tempore uſurpanda eſſe remedia, neque ab eorum uſu ſtatim deſiſtendum. 2. Varianda tamen eſſe remedia ne natura uni aſſueſcat. 3. Interdum etiam temporis ſpatium aliquod interponendum & à medicamentis ceſſandum, ut vires, & morbi & medicamentorum multitudine labefactatæ, præſertim circa ſeri evacuationem, recolligantur, quò poſtea fortius contra morbum pugnare poſſint. 4. Ad fortia medicamenta non deveniendum eſſe, niſi mitiora non profuerint. 5. Multis potionibus, aliiſque liquidis non evacuantibus, non eſt, quòd utamur, ne iis quantitatem aquoſi humoris augeamus, ſed forma ſolida potius, & partium tenuium medicamenta eſſe exhibenda. Cæterum non opus eſt multa præparantia ſemper præmittere, cum materia evacuanda coctionem nullam recipiat, & per ſe, ſi à ſero tenui, & circa initia conſtiterit, ad motum ſatis apta ſit, & plerumque viæ quoque humore tali ſatis laxatæ fuerint. Si quæ tamen craſſior materia circa primas vias hæreat, illa abſtergenda & incidenda ac præparata evacuanda, quo faciunt medicamenta, quæ aliàs in hydrope exhiberi ſolent.

XVII. Præparant autem *rad. 5. aperient: abſynthium, eupatorium, cuſcuta, capill. ♀ris, praſſium;* & ex his compoſita: è chymicis *ſal acidum & lixivioſum, cremor & chryſtall. tartar. Tartar. vitriol. Nitr. præpar.*

XVIII. Inter *Purgantia Mercurius dulcis* magnum nomen

men habet ritè præparatus, quòd ſal copioſè in ſe imbibat & ſecum auferat, nota tamen, mercurium in forma pilularum tutius, quàm alià quâcunque dandum, e. gr.

℞ Extract. panchymagog. Croll. gr. 16. Mercurii dulc. ritè ♎ti gr. 12. ol. carv. gutt. 2. c. ſyr. diaſer. Ander. F. Pil.

Vel ℞ Pil. de rhabarb. ʒß. extr. rad. jalap. ℈ß. diagryd. gr. 4. c. Syr. cichor. & rhabarb. M. F. Pil. pond. gr. 1. vel 2. pro 1. vel 2. doſib.

Vel ℞. Tartar. vitriol. ℈j. reſin. jalap. magiſt. gum. de Peru ana gr. 5. ol. mac. gutt. 2. M. in pulv. pro 1. vice.

Vel ℞ Pulv. jalap. ℈j. reſin. G. de Peru gr. 5. croc. ♂is aperit. gr. 8. ol. cinamom. gutt. 1. M. pro 1. vice.

Vel ℞. Conſerv. fl. perſic. vel roſ. pall. ʒj. Mercur. dulc. gr. 15. ad ℈j. reſin. jalap. gr. 5. F. Bolus.

℞. Succ. rad. ir. depur. ℥j ſyr. roſ. ſol. ℥ß. M. pro 1. vice. S. Laxier-Safft.

Utilia ſunt & *vina medicata*, quorum variæ extant formulæ, humores enim per epicraſin evacuant, e. gr.

℞. Rad. irid. noſtrat. petroſelin. enul. camp. ana ʒiij. cort. med. ſamb. fol. eupator. cannabin. ana Mj. ſoldanell. Mß. bacc. juniper. ℥j. ſem. fœnic. dulc. cinam. acut. cort. citr. ana ʒjß. inciſa & contuſa inſuantur ſacculo & c. pint. 4. vin. alb. generoſ. per 4trid. infund. Hujus ter de die ℥iij. inſtillatis ſpir. ſal. armon. gut. 6. aſſumantur.

Præter interna medicamenta etiam *Clyſteres* uſurpare commodum eſt, *ex mercuriali, beta, parietar. fol. ebul. ſoldanell. centaur. min. ſem. carth. fœnicul. cumin. bacc. laur.* & ſimil.

℞. Fol. mercurial. bet. ſoldanell. flor. chamom. centaur. min. ana Mß. ſem. carth. ℥ß. fœnic. cumin. ana ʒij. bacc. laur. ℥ß. coq. in aq. ſimpl. q. ſ. ℞. Colat. ℔ 1. elect. diacarth. ℥j. diacolocynth. ʒij. ol. ſambuc. rutac. ana ℥j. nitr. præpar. ʒj. F. Clyſter.

XIX. Magno deinde cum fructu *Diuretica* exhiberi ſolent, ut quæ non ſolum materiam ſeroſam, quæ in venis adhuc continetur, & ad ventrem confluxura eſt, derivare; ſed etiam illam ipſam, quæ in abdominis cavitate reſtagnat, in venas reſorbere

ſorbere atque evacuare poſſunt. Parantur autem ejusmodi diuretica ex *petroſel. fœnicul. aſpar. dauco, ſeſeli, puleg. linaria.* Ex rad. *apii, vincetox. valerian. pimpinell. aſar. Sem. hyper. alkekengi. Bacc. juniper. Sale abſynth. geniſtæ, fœnicul. gratiol. ſambuc. juniperi.* Inprimis utilia ſunt *rad. chin. & lign. ſaſſafras ac lumbrici terreſtres* in pulv. redacti, illa quidem in cauſa frigida, hi in calida magis. Ex compoſitis verò ſunt *ſpec. diacurcumæ, dialaccæ, troch. de lacca, de rhabarb. de cappar.* & quæ ſunt alia. Formula pro potu hæc parari poteſt,

℞. Rad. fœnicul. petroſel. aſparag. ana ℥iij. ebul. irid. pimpinell. ana ℥ij. Fol. beton. cuſcut. praſs. alb. ana Mß. coq. in aq. ſimpl. q. ſ. ad remanent. ℔ 1. Colatur. add. Syr. de 5. rad. ℥ij. oxymel. ſimpl. ℥j. M. pro 3. doſibus.

Vel ℞. Ciner. geniſt. fabar. ſim. columb. ebul. ana ℥jß. rad. vincetox. ℥iij. cinamom. ℥ß. Ms. ad ſaccul. affund. vin. q. ſ. S. Harntreibende Lauge Dos. ℥ij. vel iij.

Idem præſtat lixivium benedictum Myns.

Vel ℞. Trag. ſtom. Birckm. ʒj. ſal. geniſt. gr. 10. ♃ij diaphor. gr. 5. ol. ſuccin. vel. lign. ſaſſafr. ana gutt. 1. chærefol. gutt. iij. M. F. Tragæa S. harntreibende Triſeney auff 1. mal.

ſuperbibendo *aq. flor. acac. vel flor. ſambuc. linar. &c.* aliquot cochl.

In caſu deſperato nonnulli etiam *cantharides* exhibent, & quidem aliqui integras, cum alas & pedes ventris malignitatem corrigere ſtatuant: *Mich. Paſchal.* verò capita & pedes abſcindere jubet, non alas, & quidem authore *Hipp. & Plinio.* e. gr.

℞. Cantharid. 1. absque cap. & ped. 4. ſem. frig. maj. mund. ana ℥ß. ſacchar. cand. violat. ℥ij gum. ceraſor. aut tragacanth. ʒvj. F. Pulv. Dos. ʒj.

XX. Multi etiam *Sudores* eliciunt, & eum in finem 1. interna laudant (in quorum numero ſunt diuretica quædam) uti ſunt: *flor. ſambuc. & ebul. & ex his parati ſpiritus & ſales. Vincetox. rad. 5. aperient. decoct. lign. guajac. & ſaſſafr. imò theriac. & mithridat.* e. gr.

℞. Spir. urinæ ℈ß. pro doſi, in vehiculo.

Vel

Vel ℞. ℥ij diaphor. ℈j. bezoard. ♂is gr. 6. Miſc. pro Sudorifero.

Vel ℞. Spir. lignor. ℈ij. flor. ſambuc. ʒj. Miſc.

2. Externa quoque commendantur ſudorifera, ut *balneum Laconicum* &c. verùm talia potius conveniunt, ubi humor in ambitu corporis hæret, quàm cum in cavitate abdominis continetur. Hinc non niſi præmiſſis univerſalibus tuta & licita ſunt.

XXI. *Topica* etiam alia locum habent, e. gr. *ol. juniperi, ſambuc. anethinum, ung. de arthanita, Agrippæ, Martiatum.* v. gr.

℞. Empl. ad hydrop. Aug. q. p. malax. ol. acinor. ſambuc. expreſs. D. ad alut.

Vel ℞. Fol. ebul. ſambuc. ana Mij. ſterc. capr. ℔ ij. rad. beton. ℥ij. coq. in urina pueror. q. ſ. ad conſiſtent. Cataplaſmatis quod ventri applicandum.

Foreſtus ſequens Cataplaſma commendat,

℞. Rad. ebul. recent. Mij. caul. rubr. M vj. fol. malv. M ij. alth exicc. M iij. coq. in aq. com. contund. addendo ung. Agrip. ℥iij. farin. hord. ℔. ß. F. Cataplaſma, quo crura usque ad genua involvantur.

Nonnulli quoque topica ejusmodi ex hydragogis efficacioribus componunt. Veruntamen periculoſa ſunt, muſculis namque & membranis cathartica vis impreſſa lethiferum ſæpè alvi profluvium concitavit, admonente *Riverio d. hydr.*

XXII. Interim dum hæc adminiſtrantur, non negligenda, ſed diligenter diebus, quibus purgantia non exhibentur, *Alterantia ſpecifica & obſtructiones aperientia* uſurpanda. Si enim hæc vel omittantur, vel negligentius uſurpentur, fruſtra ſola evacuantia exhibentur. Poteſt hic locum habere *cichor. endiv. plantag. abſynth.* & quæ ex his parantur medicamenta: etſi enim illud calidum ſit, habet tamen maximam vim viſcera ab obſtructione liberandi, ſimulque ea corroborandi.

XXIII. Denique cum *Vires* totius, & viſcerum ſanguificantium ſæpe maximè periclitentur, danda opera, ut illis & idoneis medicamentis & conveniente victus ratione ſuccurramus. Et è medicamentis quidem hîc ſolent commendari *epar lupi, pelliculæ ventric. gallin. parum toſtæ, ſantal. Conſerv. veron. roſar.*

ſar. borrag. Rad. cichor. condit. ſpec. diarrhod. Abbat. diatrion. ſantal. magiſt. corall. perlar. &c. Sic

℞. Conſerv. fl. cichor. roſar. pall. cochlear. ana ℥j. violar. bellid. hort. ana ʒvj. condit. rad. cichor. cort. citr. ana ℥ß. ſpec. diatrion. ſantal. ʒij. c. ſyr. aceroſ. citr. q. ſ. M. F. Electuar. S. Stärck-Latwerg.

In victus ratione, quæ parca & moderata hîc eſſe debet, utendum euchymis & eupeptis, à ſalſis, aromatiſatis, calidisque ſibi temperandum, ne ſitis augeatur. Diureticis tamen oleribus uti licet, ut *petroſel. fœnic.* &c. quo fine laudatur etiam lac præcipuè caprarum, quæ ejusmodi diureticis herbis paſcuntur. Potus ſit parciſſimus, nam omninò ab eo abſtinere difficile eſt; aquæ potus cum multum ſeri procreet, noxius, addito tamen *Succo vel Syr. citr. granat. acid. acetoſell.* utilior eſt ad ſitim extinguendam. Vinum ſit album, tenue & diureticum, aut cereviſia medicata. Aër vitetur humidus & craſſus. Somnus ſit moderatus. Motus corporis multum conducit, modo ægri vires illum permittant. Animi affectus modum non excedant.

XXIV. Coronidis loco, ex *Riverio. prax. lib. 11. cap. 6.* notandum, quod in hydrope à cauſa calida, frigida cum aperientibus minus calidis conveniant, qualia in febribus diuturnis uſurpari ſolent. Quæ ibidem ratione & experientia ſatis comprobata legi merentur.

Atque hæc quidem pro exercitio ſubeundo ſufficiant. Interea Sacro ſancto Numini tuo, Veneranda Trias, immortales debeo grates, concino laudes, eſtoque Tu in ſtudiis meis porrò, quod devotè rogo, principium medium atque.

F I N I S.